

II

*Lettera dedicatoria di M. A. Sabellico al Fortunio delle « Annotationes veteres et recentes ».*

In hoc volumine hec continentur :

Marci Antonii Sabellici Annotationes veteres et recentes : ex Plinio : Livio : et pluribus authoribus.

(*A cc. c si legge*):

M. Anto. Fran. Fortunio.

Lusi totum triduum Fortuni : his proximis feriis : nec nucibus lusi : non enim tam damnosam ludit : aleam Sabellicus : sed chartis hisque non lusoriis : sed Poeticis : Historicis : Oratoribus : collusores affuere : C. Plinius Cice. : Anneus Lucanus, et qui Argonautica scripsit Flaccus. Cum his tres integros egi dies : ac totidem noctes pervigil : dum loci ex illorum marginibus linea apice asterisco : ceu cauterico notati per iocum et lusum repetuntur : magnus chartarum crepitus : crebra et tumultuosa foliorum volutatio. Quaeris quid actum sit : tercentum et amplius locos in ordinem redegi : quos velut libello uno complexus ita digessi : ut quoto quisque sit capite librove observatus facile cognosci possit. Caeterum exscripsi ego hos locos nullo verborum apparatu : quum tua causa : cui a principio in animo habui brevem hanc lucubrationem inscribere : ne forensibus causis vehementer occupatus : priusquam rem cognosceres : ut nimis verbosam fastidires : movit me illa ratio quod ita persuasum habeo in nulla re homines iustius rideri : quam quum se in parvis pueriliter ostentant. Quod plerique hodie inepte faciunt : qui se magnum aliquid praestare arbitrantur : quum unum aut alterum verbum in poetis : aut historicis reposuere : et quod adhuc maiore sit dignum risu : tum impensius id faciunt : quum emendatiore codice adiuti locum restituerint : tanquam parum intelligatur non ingenii aut iudicii id esse sed fortunae : videntur mihi eiusmodi homines pueros imitari : qui cum argentea careant pecunia sibi plumbeam conflant : ut pecuniosi videantur. Omnis ostentatio odiosa : sed in frivolis odiosissima, quod quum ita sit : nullam in re tam parva expectes a me verborum copiam. Caeterum quandoque in iis : nunc mittuntur in multis libraria fide et auctoritate laboratur : tantum peto abs te ut paranesim hanc putes non oraculum quin potius si tibi integrum volo de singulis : et universum de tota re iudicare : non enim legem scribo : sed campanus eques in via cauterium ostendo. Quid quod in te tam tenui : non solum non exquisito aliquo sum usus